

reclamante intrinseca lege mentis Legis in membris dominantis bruto imperio obsequium præstare coacta est.

## THESIS. V.

*Anima sedes.* Sedes vel locus in quo anima essentialiter locata suasque operationes suæ Essentiæ spirituali conformes exercet, est cor viscus totius corporis nobilissimum.

### Exegetis.

#### §. I.

*Quare anima in corde collocetur.* Quemadmodum totius interest Regni, vel Reipublicæ Dominus ejus talem possideat locum, ex quo commode sua mandata, jussa per Rempublicam ad notitiam omnium distribui queant; ad quem, & civibus potest esse iter proficuum ad sui Regis thronum; quo quoque Rex omnium tutissimus sit adversus hostium invasiones, quo etiam loco victus, munitionis, roborisque præsens copia sit, ita ut omnia ad bene necesseque esse affatim adsint. Eodem modo animus, qui est Rex totius corporis systematis humani, tali loco locandus est, vel & a Deo locatus est, de quo omnia, quæ de Regis Reipublicæ sede dicta sunt, prædicari quæunt. Hoc autem ipsum cor esse arbitramur. Hoc etenim in medio situm pectore, quasi in centro corporis, seu meditullio munitissima anima residet, quodq; circumdatur viscerum corona, quæ illud suo calore, tanquam neetare vivifico fovent, illustrant: ossium retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum antrorsumque compages instar meniorum vallorumque munit contra externas iniurias tutum esse queat.

*Corde*